

uninationi cognita fuit; Sed diversis simis gentibus celebrata.

5. Exemplū.
Olaus Magnus histor.
de gentibus
Septentrion.
lib. 2. c. 20.

Apud Vestrogothos Vir Illustris & Eximius Iohannes Thurson, severius quam equius regnicolam quendam capite iussit plecti. Qui genibus innixus capiteque truncandus eidem Satrapae ita valedixit: En morior, moriorque injuste iudicatus, te voco hac ipsa hora ante tribunal DEI, ut respondeas cur me condemnes innocentem. Stupendus, & nimis quam subitus citationis eventus! Sublimis ille vir, homine sub gladio cadente & ipse ab equo corruit, socius ejus factus ante tribunal caeli, quem inique iudicaverat in terra.

6. Exemplū.
Jo. Balæus,
ex Cestriensi,
in vitis
Pontif. lib. 7.

Neapoli Anno Christi 1253. Robertus Lincolmensis, cognomine grossetest, celebris illa aetate Philosophus floruit. Hic, cum Innocentii IV. P. P. Rom. avaritiam, fastus, tyrannidem & alia tetra vitia, tam viva voce quam scriptis improbaret, ab eo excommunicatus & ad curiam citatus, injuste tandem damnatus est. A nocenti itaque Innocentio appellans, Christum iudicem constituit. In ipsius igitur obitu vox clamans in Papali Curia est audita: Veni, miser, in Iudicium DEI. Sequenti die Papa in lecto exanimis est repertus, & livida in latere ejus plaga, veluti à fuste.

7. Exemplū.
Fulgos. lib. 1.
cap. 6. Gou-
lart. 3. vol.

Liguria, pars nota Italiae. Ibi Genuensium triremes ad versus piratas emissa, biremem Gotholanam cepere.
In Si-